

IN FVNERE

FERDINANDI II.

VTRIVSQVE REGNI SICILIAE REGIS

ORATIO

AD

PIVM IX. PONT. OPT. MAX.

HABITA IN SACELLO VATICANO

VIII. ID. IVL. AN. MDCCCLIX.

A NICOLAO DI MARZO

SANCTISSIMI DOMINI

PRAELATO DOMESTICO

ROMAE
TYPIS PHILIPPI CAIRO
FACTA PRAESIDVM FACVLTATE
MDCCCLIX

I. De laudibus FERDINANDI II. Augusti, Regni utriusque Siciliae Regis, dicturus coram Te, PATER BEATISSIME, qui, quod Eius virtutes plane perspectas, et cognitas habueris, maximum ex acerbissimo casu moerorem ceperis; non tam metuo ne quid praeter fidem huc allaturus sim, quam vereor ut amplissima eius merita pari sim oratione assequuturus. De eo enim Rege dicere aggredior, qui triginta fere annos eas Italiae regiones imperio suo rexit, quae non minus benigno caeli aspectu, quam et agrorum ubertate, et incolarum ingeniis, felicique indole, caeteris praestare videantur. Quarum quidem cives ita nati, ita comparati, ita exornati a natura fuere, ut, Eo regnum obtinente, ad civilem perfectionem pervenire facillime potuissent. Etenim id videor vere posse dicere, quod quamvis ex quo tempore in eas regiones nomen, regnumque Borbonicum invectum est, cives illi universi praecipua, quae quidem accidere hominibus in terris potest, felicitate usi fuerint; tamen FERDINANDVS Rex, maiorum suorum in Neapolitanos, Siculosque homines beneficiis id cumuli adiunxit, ut inter superiores Reges, qui ex eadem domo ab Carolo III. ad haec nostra tempora in iis regionibus regnum obtinuerunt, illustre sane nomen Sibi comparaverit. Si autem in

Eo id spectare velimus, quod in christiano Rege est potissimum, Religionem tueri, ad bonos mores populos informare, oppressos, et calamitosos homines erigere, ac fovere, quis unquam negaverit FERDINANDVM in Se uno partes omnes regias esse complexum? Quapropter hoc affirmare non dubitabo: si Eum spectemus ut Regem, parem optimo cuique Regi inveniemus; si ut christianum hominem, nihil admodum vel pietatis, vel Religionis in Eo desiderabimus. Itaque in Eo laudando non tam mihi illo eloquentiae genere utendum esse intelligo, quod praestantissimi illi veteres in Romanis Imperatoribus posterorum memoriae mandandis sequuti fuere, quam quo Ambrosius Theodosium, Gregorius Valentinianum, christianissimos principes de suis populis, deque Religione catholica egregie meritos, laudibus extulerunt. Etsi vero non id mihi sumam ut tantorum virorum ingenii vim, dicendique copiam referre possim; tamen confido fore ut vel his paucis, quae ex uberrima multarum, et pulcherrimarum FERDINANDI virtutum segete huc sum allaturus, auditis, omnium animi eam optimi Regis imaginem effingant, quae valeat tum ad Eum grata voluntate prosequendum, tum ad Eius memoriam vel ad ultimam posteritatem, praeclare gestorum, et complurium beneficiorum recordatione, commendandam.

II. Qui, quantusque Rex FERDINANDVS futurus esset, iam inde homines coniectura consequebantur quoties ad Eius robustam virtutem, acre ingenium, obfirmatam voluntatem mentes vertebant: ad quas laudes cum regia educatio accessisset, mirum quantam de Eo expectationem conceptam animis gererent! Sed tum plane cognoverunt, expertique sunt, quum Franciscus I., pater optimus, sapientissimusque vir, Mariam Christinam filiam Ferdinando VII. Hispaniarum Regi nuptum collocaturus, Madritum profectus, FERDINANDO filio administrandum Regnum commisit. Illud enim vero expectationem omnium vicit quod adolescens, cuius aetas nondum vicesimum annum attigisset, tanto in munere gerendo tanta se prudentia gesserit. Ex quo veluti Regni praeludio magnam in spem adducti sunt homines, quum anno post, Francisco mortuo, in patris locum FERDINANDVS haeres regiae dignitatis suffectus est. Neque vero eos falsos habuit: nam Regno inito, quum primum, edicto proposito, utriusque Siciliae populos allocutus est, totam rationem Regni sui ita explicatam, testatamque voluit. Per-

suasum sibi esse affirmabat oeconomiae rationem sumptibus minuendis esse vel in primis curandam: agros, quos luxus ad venandum, vel rusticandum inepte sane destinaverat; aut desidia atque inertia steriles, infoecundosque fecerat, agricolis, et pastoribus esse locandos: quae divitiae tam pinguis, feracisque soli imis visceribus conderentur, eas iis omnibus rebus, quas sive industria, sive scientiarum cultu aetas nostra protulerit, esse effodiendas, atque ad usum, cultumque vitae conferendas: ob eamque caussam cum exteris nationibus commercia exercenda: tum vero rem militarem non in postremis habendam. Cum autem ex optimarum artium, ac disciplinarum studiis plurima in rem publicam commoda redundarent, daturum se operam ut in suo Regno quam maxime excolerentur. Religionem denique, quae semper magno in pretio apud suos habita fuerit, sancte, integreque servaturum. Quae quidem, ut ab tenacis propositi viro promissa, ita laetis animis accepta fuere, ut utriusque Siciliae Regni hominibus iniecta certa spes fuerit meliora omnia, ac prosperiora futura. Iam vero si non exigua est laus Eum his consiliis ad Regnum accessisse, quanto magis Eidem in laude ponendum est, quae semel verbis sit pollicitus, per totum Regni curriculum re probavisse?

III. Itaque cum singularis prudentiae Vir secum animo reputaret, atque opinione praeciperet nihil Se regno, populisque profuturum, nisi antea aerarium, in quo rei publicae nervi continerentur, augendum curasset; in id omnes animi vires, omnes cogitationes, omnes vigilias contulit: effecitque ut pecuniae publicae administratio rectissime se haberet. Qua in re magnam Sibi laudem merito comparavit: non enim extraordinariis vectigalibus, tributisque gravioribus impositis, at levioribus illis quidem, si cum magnarum nationum vectigalibus conferantur, haud magna suorum civium molestia, aerarium auxit: ut omnibus esset perspectum id optimis legibus, institutisque, quibus res aeraria administraretur, esse tribuendum. Neque vero illud omisit ut ab publicae oeconomiae doctoribus, quorum sapientissime scripti libri aetate nostra magno numero extant, habenturque in deliciis, in rem suam derivaret. Hinc factum est ut in Eius regno nomina, quae publicum aerarium cum civibus contraxisset, non modo existimatione non minuerentur, sed augerentur. Quare illud etiam fiebat ut unicuique civium expedita, et facilis mutuandae a mensulariis pecuniae ratio pateret; tum

ab iis, qui ex aere tantum privato, tum ab iis, qui, collatis substantiis, fide publica protecti, mutuas darent pecunias: ex quo mirificos in dies auctus commercium habebat. Quid igitur miramur quod, quum post orientale bellum, argentum, aurumque numeratum ab Europae finibus pene avolasse videretur, Neapolim undique ab externis populis confluxerit? Tantam in fiduciam, aptissimis aerariae rei dictis legibus, omnes venerunt! Quare in rem nostram merito illud Prophetae usurpare possumus: *Repleta est terra argento, et auro, et non est finis thesaurorum eius* (Is. II, 7).

IV. Iam vero occurret quispiam quaerens: quibusnam ex fontibus haurire tot, tantasque divitias FERDINANDVS potuerit: quid enim leges, et instituta valeant, re ablata? Cui quidem respondebimus: ex iisdem illis fontibus unde vel ab ultimis temporibus Campani, Picentini, Samnites, Tarentini, Frentani, Hirpini, Appuli, Peucetii, Salentini, Brutii, et Siciliae incolae, qui omnes Eius imperio continebantur, ingentem sibi divitiarum famam comparaverant. Intelligebant enim acerrimo ingenio, duratique labore homines, ex tanta agrorum ubertate divitias eliciendas esse. Idem et magis sapientissimus Rex intellexit, qui cognosceret Salomonem scriptum divinitus reliquisse: *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium stultissimus est* (Prov. XII, 11). Vt igitur Se, suosque subditos cumulatissime locupletaret, ad pristinam conditionem agricolturam restituendam, omnique ope ad eam suos homines excitandos esse existimavit. Hinc Collegia Sodalium oeconomiae regundae, quae iam alicubi in Regno florebant, quorum esset progressus rei rusticae curare, non modo in omnes urbes intulit, sed ita intulit, ut eorum beneficia in singula oppida, et castella manarent. Neapoli vero, et Panormi suas proprias sedes haberent illa Regia Instituta, quae ex eo nomen ducerent quod ad agricolturam, artesque homines in primis excitarent. Ex his porro consequutum est ut disciplinis omnibus, quae in eam rem essent, mathesi, inquam, physicae, chymiae, naturali historiae sedulo studeretur; ex his serendi ars, ovium, armentorumque pascendorum, et propagandorum industria induceretur; horti experiendi caussa instituerentur; ex his emporia, et nundinae celebrarentur; praemia agros excolentibus proponerentur. Sed non fuit contentus ut sui cives herbescentes tantum proventus sibi quaererent, nisi eos in id etiam impulisset, ut quae in

penitissimo terrarum sinu delitescunt, praetiosissima quaeque educerent, ad commerciumque hominum transferrent. Itaque non modo, fodinis novo ausu patefactis, sulphur copiosius quam antea, et marmora, et aes cuprum, et plumbum, et ferrum usui hominum suppetiit; sed etiam porphyrites, et achates, et smaragdi, et iaspides, urbes, civesque locupletarunt. In tanta igitur hominum industria, in tam acribus studiis, et laboribus, facile est ut sibi quisque excogitando repraesentet longissimos regionum tractus incultos antea, et virgultis, et sentibus obsitos, in viridaria esse conversos; dumetis purgatam tellurem se in pomaria induisse; atque ubi antea aspera saxeta obtinebant, ibi agricolarum cultum feliciter elaborasse. Quod si quis secum animo reputet populum circumfluentem divitiis magis, magisque efflorescere debere; facile sibi persuadebit auctum etiam civium numerum paternis Ferdinandi curis esse referendum.

V. At erant etiam alia conanda, quae cum privatorum vires, atque opes superarent, praestare nisi aerarium publicum, vel consociatorum hominum collecti sumptus non potuissent. Vtrumque pro rei opportunitate factum a Rege est: qui ex copia rerum consilium trahens, quod suis futurum esset utilius nunquam non praeoptabat. Etenim is erat, qui, quo semel incubuisset, nisi re perfecta non acquiescebat, quanticumque tandem moliminis ea esset. Quare effecit ut fluminum cursus dirigerentur, torrentesque aggeribus circumvallarentur, ne hinc, illinc effundentibus se se aquis, agricolarum spes frustra essent. Huius Regiae magnitudinis testimonia in omnibus utriusque Siciliae Regni provinciis magno numero suppetunt. Testis est Lucania, quae Silarum amnem intra suas ripas cursum continentem; lacum Vibonensem ad meliorem statum restitutum; palustres aquas ad Petelliam exhaustas, vidit: tum vero in iis regionibus, quae Vulturno flumine alluuntur, plusquam quinquaginta millia agri modia culturae reddita sibi gratulata est. Testes sunt Marsi, qui lacu Fucino, omni ope, conatu, sumptu, exhauriri cepto, operosum sane opus, non modo antea ab tot Regibus, sed ab ipsis Romanis Imperatoribus frustra tentatum, ab Ferdinando autem susceptum, brevi tempore perfectum iri confidunt. Testis est Panormum, cuius fere immensi in suburbano terrarum tractus, qui stagnantibus late aquis obsidebantur, tum salsitudine ablata, tum maris arenarum cumulis sublatis, agricolarum industriae, et laboribus

patuerunt. Testis est Catana, cuius flumen Symaethus ita est ingenti molimine derivatus, ut undarum fluxu uberrimorum agrorum ubertatem augeret. Quis autem recensere dicendo potest quot, quantique terrae tractus cultoribus sint quaesiti; quot deserta, et inculta loca, ubi pauca antea mapalia conspiciebantur, modo pagi, vicique facti, incolis, domibusque cepti sunt frequentari?

VI. Iam vero auctis terrae frugibus, auctoque civium numero, necesse fuit ut industriae, internoque commercio accessiones fierent. Quum enim non omnia in unaquaque provincia gignantur, faciendum fuit ut quod alteri superesset, alteri praeberetur: quod haud ita commode effici potuisset, nisi provinciarum populi inter se facilius, viis novis apertis, res commutare possent; Regnique divitiae, quae maxime commeatus, et annonae copia constant, veluti in corpore humano sanguis, per omnes regionum partes manarent. Haec admirandum in modum, Ferdinando Rege, confecta sunt; tametsi complurimae, maximaeque difficultates fuerint superandae. Non enim montium asperitas, non fluminum impetus retardare ab inceptis Regem potuerunt; nihilque tanti fuit, quod Eum impediret quominus nova ad Bruttios, ad Samnites, ad Frentanos, ad Appulos itinera sternenda curaret. Quid porro regionum illarum incolis desiderandum unquam reliquit eorum, quae manu, artificioque affabre elaborantur, quaeque ab externis nationibus illuc importari soleant? Nullum autem inventum fuit, quod ex usu esset vitae hominum, quod utriusque Siciliae Regni populi primi omnium Italorum non usurpaverint. Igitur neque per aeratas vias, commodiores, longeque citiores itus, ac reditus; neque fluminum per suspensos pontes transvectiones; neque rerum de longinquo significandarum rationem; neque novam ex vapore ad opificum machinas adhibitam vim; neque ex novo alimento ad nocturnas tenebras excutiendas altam, elicitamque vivaciorem lucem; vel eam, quae ex pharis certo lumine navigantibus colluceret; nihil horum, inquam, nimis diu desideraverunt. Quae cum mature admodum apud eos cepta sunt in vitae consuetudine versari, quis non videt eas etiam disciplinas, artesque, sine quibus constare illa non possunt, apud eosdem cultas esse quam maturrime oportuisse? Quod si ex his omnibus populorum conditio longe melior effecta est, ne putetis, quaeso, reliqua illa defuisse, quae ad vitae ornamentum valent plurimum. Nam pictura, sculptura, ar-

chitectura numquam antea ita in pretio, cultuque sunt habita, ut omnibus fere operibus et publicis, et privatis, ex iisdem pulcritudo, atque concinnitas non exigua accesserit. Quae res cum in promptu sint omnibus, oculorumque testimonio teneantur, nemini, arbitror, incredibile videri poterit si contendam, Eo regnante, urbes omnes ex ordine, aliamque prae alia novum aspectum induisse: eodemque tempore tum Neapolitanorum, tum Siculorum famam, et virtutem, veterum harum regionum populorum nomen, nobilitatemque aequasse. Ex quibus quis non intelligit quam bene in FERDINANDVM cadat illud Divinum praeconium: *Beata terra, cuius rex nobilis est* (Eccles. X, 17.)!

VII. Cum autem sapientissime prospexisset, ut Cicero (Orat. II. Agr. 94) de veteribus illis Romanis praedicabat, = non ingenerari hominibus mores tam a stirpe generis, ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci, et a vitae consuetudine suppeditantur, quibus alimur, et vivimus =, ita in iis omnibus commodis, quae suis attulit, et veterum traditiones, atque instituta, et locorum ingenium, situsque urbium Sibi prae oculis habenda esse duxit. Ex eo igitur quod FERDINANDVS cognosceret antiqui illi populi regionum suarum incolae ad tantas opes, atque nominis celebritatem mercatura exercenda, maritimisque cursibus conficiendis pervenisse; ratus Sibi facultatem in promptu esse tanto maiorem, quanto aetate nostra maritimi cursus longe facilius ac apud illos conficiuntur, in id magnopere incubuit, ut sui cives et opificia, et fruges, et caeteros proventus cum rebus externarum gentium commutarent. Qui enim ex tanta rerum omnium copia, atque affluentia, fructus caperentur, nisi facilis exportandi ratio esset? Quare vel ab sui Regni initio id sedulo egit, ut praemiis propositis, aedificiis ampliatis, vel de integro inaedificatis, rei maritimae studio, atque exercitationi se darent homines vehementius. Itaque navalia construendis navibus exaedificavit; portus autem alios ad pristinam amplitudinem restituit, alios effecit munitiores, alios novos, in opportuniore aliquo sinu, construxit. Ii vero ita complures sunt numero, ut si potiores tantum referre vellem, mihi Panormi, Messanae, Syracusarum, Caietae, Mesciti, Brundusii, Taranti, Puteolorum nomina huc essent afferenda. Quid vero dicam quam non modo communitos esse eos portus voluit, ut tutissimum ab undarum aestu perfugium praeberent, verum etiam ut laemocomiis extructis,

vel restauratis, a pestilitate, eiusque afflatu, navigantium, et nautarum vita prohiberetur? Et quoniam ad commercii felicitatem, ac securitatem plurimum valet et domi pax, et foris concordia; nihil antiquius habuit FERDINANDVS quam ut inter se pacati sui essent, et cum aliis nationibus foedere, amicitiaque coniuncti. Tum vero quia ad contractus aequioribus tibi quam alteri conditionibus ineundos valde facit, si caeteris te, tuumque Regnum cum admiratione quadam suspiciant, effecit ut Regium nomen vel apud dissitas terras magni haberetur. Quibus rebus factum est ut Regni classis amplius decem millium navium onerariarum numero constaret, ac veteribus illarum regionum populis navalibus opibus, famaque antecelleret. Non enim regiae naves mediterranei maris litoribus continentur, sed oceanum transvectae, atlanticum, aethiopicum, indicum mare percurrunt; regionesque illas appellunt, quae Americae continentes circum undique aequore alluuntur.

VIII. Ob eandem caussam cum sentiret, perspectumque haberet Regni homines acerrimis esse ingeniis, atque ad omnes disciplinas, optimasque artes mirifice comparatis, tot, tantaque naturae bona obsolescere haud est passus, suisque populis in ea re sedulam operam navavit. Neque vero litterarum, ac bonarum artium progressus ita fovit, ut ea paucorum privilegium essent, sed patrimonium omnium: ut cuique pro suo statu, et facultate, quae sibi documenta essent aptissima, accipere liceret. Itaque nullum fuit genus hominum, qui ab optimo Rege litterarios ludos, et magistros non haberet paratos. Optantur utriusque sexus infantibus litterarum primordia? FERDINANDVS, ne prima institutione puerili sui carerent, elementarias scholas, tum eas, in quibus pueri inter se docent, tum in quibus ad artes, et opificia adolescentes de plebe homines informantur, institui iussit. Desiderantur in quaque bene instituta civitate ut et Collegia, et Convictus praesto sint adolescentibus, vel re familiari, vel nobilitate praestantibus, erudiendis? FERDINANDI opera factum est ut et Convictiones, in quibus doctrinis perinde ac bonis moribus imbui, et Licaea ubi varia doctrinarum genera tradi solent, in singulis provinciis constituerentur; ne, si quarundam tantum essent propria, patres familias aut locorum longinquitate, aut nimio sumptu ab filiis politioribus litteris excolendis deterrerentur. Expetuntur in principibus Regni urbibus Licaea Magna, in quibus praestantissima ingenia se

se exerceant, contendantque invicem de honore, et gloria? Numquam ante FERDINANDVM Regem vel sapientioribus doctoribus, vel uberioribus scientiarum incrementis floruerunt. FERDINANDVS eorumdem musaea et speculatoriis turribus, et instrumentis, et machinis, exquisito artificio, ingenioque elaboratis, prolixe instruxit. His praesidiis Neapolitanorum, et Siculorum ingenia erecta, et communita, mirum quantum ad res praeclarissimas inveniendas connixa sunt, quantosque progressus et in astronomicis, et in physicis, et in medicis, et in mathematicis, aliisque, quae observatione constant scientiae, fecerint! Quid autem de re archeologica, deque historicis studiis dicam? Quid de doctorum virorum coetibus ad patria monumenta cum vetera, tum recentiora illustranda, toto Regno vel institutis, vel in pristinum restitutis? Quid de ea cura, quae semper versata in Eius animo est, ut historia, quae testis temporum est, vitaeque magistra, ab suis maxime coleretur? Nonne id in caussa fuit cur Tabularia publica, quorum in Regni Curiis magna est copia, serie descripta, ordinanda ediceret, apertaque esse iuberet veteres memorias pervestigaturis? Nonne inde factum est, ut opportunissimum morem illum induceret, tamdiu ab Romanis retentum, ac celebratum, ut designarentur, qui civiles annales conscribendos susciperent? Non inde illud Regis studium, quae sub Herculanis, Pompeianisque ruinis inventa essent, litterarum monumenta edendi profectum est? Non inde favor, et gratia, qua eos est complexus, qui, privato sumptu, ingenii sui fructus in lucem edere minus potuissent? O magni animi Regem! o Virum admirandum! Hanc Tibi gratiam Neapolitani, Siculique referre debent, ut fateantur quam gloriam apud omnes populos adepti sunt, eam per Te esse adeptos!

IX. Eum vero Regem, qui omnes rei publicae partes esset complexus, non fugit ab Rege omnium sapientissimo, vel in ipso dicendi sui exordio, populorum rectores commonitos in haec verba fuisse: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram* (Sap. I, 1.). Cuiusmodi monitum ita FERDINANDVS imbiberat, ut perpetuo Eum solicitum habuerit quemadmodum cives sui aequo iure inter se uterentur, unicuique ius suum tribueretur; nemini autem lege agere non liceret. Quapropter ut ii, qui iuri dicundo praeficerentur, se idoneos praeberent *ad suscipiendam eruditionem doctrinae, iustitiam, et iudicium, et aequitatem* (Prov. I, 3.), nihil praeter-

misit quod quidem ad optime in legum studio eos instituendos pertinneret: legerat enim illud etiam : *Iustitia firmatur solium* (Prov. XVI, 12.). Vt igitur gravissimum hoc negotium iis tantum committeretur, qui cum iuris scientiam apprime tenerent, tum ab iuribus practio exequandis longe abessent, statuit ut magistratus, qui de iure responderent, non fierent nisi qui a probatissimis viris, iudicio antea instituto, latisque clam suffragiis, ne cuiusquam studio, aut gratia eorum fides labefactare posset, testimonium et doctrinae, et probitatis tulissent. Quo factum est ut iuri dicundo praestantes integritate, et doctrina viri praeponerentur. Quin imo eo iustissimi Regis solicitudo in iustitia asserenda progressa est, ut, quoad fieri humano consilio posset, fraudi, et iniuriae omnino locus non esset. Itaque ne infimae sortis, inopesque homines praepotentium opibus, et vi opprimerentur, designari iussit spectatissimos, eosdemque gravissimos viros, ad quos si qui se iudicum sententia gravatum, laesumque sentiret, caussas, querimoniasque deferret. Et quoniam ad rem valde pertinere videbat civilium etiam legum progressui consulere; cognoscebatque in legum codice plura contineri, quae ab aetatis nostrae moribus, institutisque abhorrerent, Avi, Patrisque sui opus prosequutus, multa commutavit, multa addidit. Quorum potiora capita exponam; ex quibus existimari de caeteris possit: = Omnium civium coetus eodem iure utantor: - bona et persona cuiusque sacra sunto: - reorum quaestiones coram populo fiunto: - crimina publice vindicantor: - iuris disceptatores dona ne accipiunto: - oppida privati iuris usu, fructuque nulla sunto: - singularia cum singulis certamina tota regni ditione prohibentor =. Qua postrema lege, hoc praestitit, ut memoria veteris immanitatis, ac barbariae e subiectorum moribus, vitaque deleretur. Quod quam humaniter factum sit quis non videt? Iam vero si hominum societas iustitia, et humanitate praesertim regitur, quibus unis virtutibus maxime belluis praestamus, quis dubitabit de Rege FERDINANDO affirmare illud Proverbiorum: *Rex iustus erigit terram* (XXIX, 4)?

X. Quae huc usque sunt a nobis commemorata, omnia sunt plena rationis, consilii, sapientiae, iustitiae: modo de iis est dicendum, quae maxime ad fortitudinem, animique vim pertinent. Quamvis enim superiora illa praestabiliora sint, suum tamen tutum non obtinent, nisi rei bellicae studium accesserit. Et quoniam in bello gerendo in primis

quaerenda est pax; ita quae pacis sunt haud conservaveris nisi te ad bellum comparaveris. Ab summo igitur Regni moderatore, eodemque forti viro, non erat armorum res negligenda; qua instructos esse Reges oportet non minus ad iura tuenda, iniuriasque propulsandas, quam ad pacem obtinendam. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet* (Luc. XI, 21). FERDINANDVS Rex, qui haec optime teneret, quique superiorum temporum calamitates meminisset, nihil potius habuit, quam ut exercitus terra non exiguos, classem mari satis firmam compararet, ornaretque; quibus Se, suosque ab internis, externisque periculis tutaretur. Neminem sane latet quanta animi, corporisque contentione in rem militarem incubuerit; quam totus fuerit in ea provehenda; quam saepe, quamque libenter inter milites fuerit versatus. Is enim non satis habuit Contubernia iuvenum militaria munera, et decora petentium, optimis institutoribus, ac magistris instruere; sed cohortem constituit tironum, qui in spem militiae succrescerent, quique ferme ab infantia disciplina militari imbuti, cum ad aetatem pervenissent, caeteris in omni militari munere obeundo documento essent. Is non satis habuit scholam nauticam aperuisse, omnique instrumentorum genere adornasse; sed etiam effecit ut singulis legionibus, pro armorum varietate distinctis, sui quique essent, qui egregie scientiam militarem callerent, doctores. Is non satis habuit harum omnium rerum curam probatissimis, scientissimisque rei militaris viris mandasse, nisi Se ipsum quandoque magistrum, et servandarum legum exactorem suis tironibus, ac militibus dedisset. Cum enim cognosceret quot, quantaque in perfecto milite requirantur, in campum Ipse descendebat, ludicras pugnas commissurus; atque non modo Regia dignitate deposita, sed et Ducis munere exuto, inter milites miles, militiae incommoda, et labores sustinebat. Non illum pluvia, non urentes solis radii, non panis secundarius, non longa, periculisque obnoxia itinera, non quae duriora accidere militibus solent, ab militia obeunda absterruerunt. Assuetus autem militaribus ingeniis, cum tam crebro inter eos versaretur, cuiusque diligentiam, virtutem, scientiam exploratam habebat; quin imo (fuit enim in hoc Rege incredibilis quaedam memoriae vis) eorum et nomen, et patriam meminerat, ut fere singulos proprio nomine compellaret. His artibus Sibi milites comparavit bene moratos,

reique militaris peritos: quorum in fide, obedientia, benevolentia niteretur, cisque Se, suumque Regnum tuto omnino committeret; oramque omnem maritimam classiariis militibus defensam, melius quam arcibus, aut portubus tueretur. Adeo in sui amorem, et obsequium, rudes animos verterat!

XI. Verum nimis parum momenti in armis esse saepissime est compertum, nisi insita animis Religio armorum impetus contineat, efficiatque ut minus saepe vi geri res necesse sit. Praeterea admonet Divinus Spiritus: *Non in fortitudine sua roborabitur vir* (I. Reg. II. 9). Haec animo suo FERDINANDVS reputans, illuc saepe suspiciebat, illuc suas cogitationes extollebat, unde *omne datum optimum, et omne donum perfectum . . . . est, descendens a Patre luminum* (Iac. I, 17), qui ex Paulli sententia, *Rex regum est, et Dominus dominantium* (I. Tim. VI, 15). Quapropter cum ad suorum felicitatem ea, quae commemorata a nobis sunt, aggrediebatur, non ita in humanis praesidiis spem habebat, ut non multo maiori fiducia iis niteretur, quae Christianus vir ducere e fide in Christum, generis humani sospitatorem, debeat; quaeque in Eius mandatis sequendis, Religionis cultu augendo, in divini Numinis vi praesentissimo sibi auxilio pollicendo, sunt posita. Huc FERDINANDO religio fuit prosperos rerum omnium exitus referendi, profitendique cum Regio Psalte: *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem* (Ps. CXVII, 14.). Et re quidem vera, undenam putemus profectam esse illam felicitatem, qua perpetuo usus est in iis omnibus, quae suscepit ex sententia conficiendis? Quae enim fecit tot, tantaque sunt, ut unius hominis prudentia, et cura multo sint maiora. Revocemus, quaeso, ad memoriam in quos civilium rerum fluctus, in quas Europae tempestates regnum Eius inciderit; quantaque ipsius naturae vi vexatum fuerit, quum tota interdum aliqua regni provincia vel terrae motibus concussa, vel alluvione pene demersa, vel pestis afflatu moerore, luctuque sit obsita. His autem gravissimis calamitatibus quonam modo a providentissimo Rege itum est obviam? Non fuit contentus ut per suos administros, aliosque magistratus tantis incommodis mederetur; sed Ipsemet perculis se se obiiciebat, laboresque obibat, ut quae ad subitos rerum casus opus essent, et maturius, et consultius perficerentur. Hoc scilicet in caussa fuit cur semel, atque iterum longa itinera ingrederetur ad eas regiones invisendas, quibus in-

fortunium aliquod accidisset: sua enim praesentia afferre miseris solatium, sua pecunia eos levare, sua voce recreare religiosissimus Rex praeoptabat. *Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem, haec est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum* (Iacob. I, 27.). Quae quidem non regio quodam fastu, non gloriolae flatu adductus, agebat; sed quia munus suum exequi Sibi in religionem ducebat. Etenim, ex Divini Magistri monitu, quaerebat *primum Regnum Dei, et iustitiam Eius*, ut caetera Ipsi adiicerentur (Matth. VI, 33). Nihil est igitur quod miremur si pax, et tranquillitas per turbulentissima Europae tempora in Eius regno nunquam fere interturbata fuerint; si cultus agrorum aquarum exundatione interceptus statim efflouresceret; si pestilentes morbi exterminarentur; si ex gravissima interdum inopia, et moestitia, rerum omnium copia, et hilaritas consequeretur.

XII. Quam porro late, quamque intimo animo hic Religionis sensus FERDINANDO inesset quo magis pateat, singula quaeque sunt a nobis vel a principio persequenda. Itaque cum in Divinis Libris scriptum legisset: *Clementia praeparat vitam* (Prov. XI, 19.), ut ab clementia Regnum auspicaretur, iis omnibus, qui ob admissa flagitia in vinculis habebantur, vel de poena detractum voluit, vel totius gratiam fecit. Illis vero qui maiestatis lege tenerentur, aut poenarum metu extorres patria vagabantur, ad suas domos, patriosque fines redeundi fecit facultatem. Etsi vero regiae huic virtuti, propter hominum improbitatem, minus saepe locus esse possit in iis, qui regendis populis praesunt, quum illud etiam scriptum sit de optimo Rege: *Dissipat impios Rex sapiens, et incurvat super eos fornicem* (Prov. XX, 26.); tamen, misericordiae numquam oblitus, ea omnia perfecit, quae humanitati cumprimis conveniunt: multus enim fuit in facinorosorum incommodis minuendis, multus in spirituali bono iis comparando. Quid enim? Nonne carceres omnes, quae ad instar latomiarum, ac ferarum lustrorum erant, a novo extruxit; in quibus nec saluberrimus aër, nec iucunda lux deficeret, easdemque, pro eo more adeo sapienter ab nostra aetate invecto, in cellulas divisit? Quam porro naviter animas eorum, qui in vinculis detinerentur, procuratas voluit Is, qui virorum curas Patribus Societatis Iesu, mulierum autem Virginibus Sororibus a charitate imposuerit? Quis tandem ignorat, aut ad quem non pervenit fama eorum, quae FERDINANDVS praestitit, ut quibusque indigentium classi-

bus esset commode provisum? Vt igitur tenuioribus hominibus, atque ope aliena indigentibus, certum praesidium praesto esset, coetus eorum institui curavit, qui huic uni rei studerent. Vt morbo, et inopia affecti haberent quo reciperentur, et ad valetudinem restituerentur, domus hospitales, ubi nondum extabant, aut de suo condidit, aut censu, et vectigali auxit. Vt omnibus iis, qui ex utroque sexu emendicato viverent, cum per aetatem, vel corporis debilitatem ne rogare quidem stipem possent, instituta propria voluit patere ubi sustentarentur, obitumque in osculo Domini, extremis sacris procurati, expectarent. Puellis, quas species ipsa, et paupertas, in gravissimum pudicitiae suae discrimen adducebant, perfugia aperuit: iis vero mulierculis, quae minus honestam vitam duxissent, vitiorumque illecebris se passas fuisse irretiri poeniteret, asylum paravit: filios a parentibus vel crudeliter desertos, vel misere orbos, et viduas, et incertis patribus genitos omni ope, liberalitate, sollertiaque fovendos suscepit. Quid vero de montibus, quos frumentarios vocant, quid de mensis pigneratitiis, quid de arca ad contrahenda connubia dicam? Ex quibus et pauperes agricolae depromerent semina ad agellos serendos; et qui numerata pecunia egerent ab usuras exercentibus mutuari non cogerentur; et patribus familias in manibus esset ratio, qua filiabus dotem compararent. Nimis multus essem si omnia, quae in suorum subiectorum commodum fecit, persequi vellem. Hoc tantum dicam: ex allatis id confici, ut iure, ac merito Rex FERDINANDVS Pater suorum populorum dicendus sit, Eique illa laus tribuenda, quod Evangelii praeceptiones, easdem et instituta civilia esse voluit: quod christianum principem decet maxime; nam omnibus mandatum divinitus est: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (Luc. VI, 36.).

XIII. In ea vero, quae ex usu essent catholicae Religionis, quanto Is studio ferebatur! Testimonio sunt novae constitutae Dioeceses, aedium sacrarum aliae a solo excitatae, aliae, vetustate collapsae, refectae; aliae, squalore obsitae, cultu, instrumento, censuque auctae. Cuius pietatis studii plurima in Regni urbibus, atque oppidis monumenta extant. Ex quibus facere non possum quin memorem quod sacra illa aedes ab Avo, voti reo, e fundamentis in honorem Divi Francisci a Paula excitari cepta, perfecta feliciter ab Eo sit. Tum vero haud praeterire silentio debeo nobilissimum illud in Monte Regali templum, plurimaeque reli-

gionis, idemque argumentis veteris, ac novi Testamenti musivo opere affabre, ingenioseque elaboratis, admirandum plane opus, ab illo Guilelmo, cui suae virtutes boni cognomentum fecerunt, regio splendore, cultuque aedificatum. Hoc cum haud ita multis ante annis casuali incendio magna ex parte, musivis tamen argumentis ad miraculum integris, conflagraverit, cura, studioque Eius restitutum, absolutumque est. Religio vero Eius tum maxime se prodidit cum, mirificis munitionibus Caietam circumductis, templum Divi Francisci Assisinatis honori a solo excitari iussit, quod munitissimae arci velut praesideret. Panormi denique summum enituit Eius studium in Palatinae aedis musivis operibus reficiendis, ubi ipse FERDINANDVS baptismate initiatus, de sacro fonte ab amplissimo Panormitano Senatu susceptus est. Qua in re existimandum est FERDINANDVM ibi insigne pietatis suae monumentum relinquere voluisse ubi in lucem est editus, cum Regia Domus, superioribus illis per totam Europam rerum conversionibus Neapoli exturbata, in Siciliam ad tutissimum perfugium migravit. Qua vero pietate in mortuorum exuvias fuerit inde licet cognoscere, quod lege sanxerit ut coemeteria conderentur: qua ex lege novum decus Neapoli est additum, magnifico hypogeo extructo. Quid de observantia Eius in viros divino cultui mancipatos dicam? Cum apud Se statuisset nihil Se neque ad Religionem excolendam, neque ad mores castigandos praestantius facere posse, quam si integra potestas Ecclesiae Praesulibus fieret; Religionum exercendarum, morumque castigandorum munus esse proprium eorum voluit, ut in omnibus publicis institutis, quae ad religiosam educationem pertinerent, Sacerdotibus permitterentur. Quo facto satis ostendit quam intimis sensibus Ecclesiae doctrinae obsequeretur, qui in eius docendae modum omnino in Episcoporum potestate esse voluerit; quippe optime tenebat ab Divino Ecclesiae Institutore iis tantum docendi, regendique munus mandatum fuisse; iisdemque cum ea potestate charismata, non communia omnibus, fuisse attributa. Quam denique alte in pectus catholicae doctrinae studium demiserit in eo est plane cognitum, quod in universalibus Regni Gymnasiis ita esse docendos auditores edixerit, ut Sancti Thomae doctrina in primis traderetur. In magnis autem Licaeis Neapolitano, in quo ipse Divus Thomas et auditor, et doctrinis tradendis antecessor fuisset, et Panor-

mitano, statuit ut Doctores Decuriales in solemniori quaque die numisma in pectore gestarent, cuius in altera fronte ipsius Divi Thomae imago cerneretur, in altera inscriptio legeretur, quae, cuius rei ergo id esset, et a quo lege latum, moneret. Ita sane par est facere christianum Regem: civili etiam auctoritate Catholicam doctrinam velle esse fultam.

XIV. Reliquum est ut quantae in Eo privati hominis, non modo Regis, virtutes illuxerint, breviter perstringamus. Ac primo quidem quis ignorat quam liberalis, quam largus, quam effusus in omnes omnium ordinum pauperes, inopesque homines fuerit? Nemini unquam stipem, vel opem roganti, ab Eo fuit negata: de cuius beneficentia adeo sibi Regni homines suasum habebant, ut vel ab remotissimis provinciis opem petituri ad Regiam convenirent, nihil dubitantes se tam longa itinera frustra esse ingressuros. Qua vero humanitate, qua commoti animi significatione eos excipiebat, ut simul et solatium verbis, et re auxilium eis afferret! In quo quidem non Eum ostentatione duci, sed Religione, id argumento erit, quod nunquam non hortari eos solebat ut primum Deo Omnipotenti agerent ex animo gratias: quapropter id Sibi morem fecerat, tum praesertim vel opis praebendae, vel misericordiae impertiendae, cum solemnis aliqua dies Domini Nostri Iesu Christi mysteriis recolendis accederet. Adeo Regis, et christiani hominis partes in Ferdinando coniunctas, imbutasque Religione conspiciebantur! Qua quidem in re non parvam sibi laudem vindicat Avus Ferdinandus I., qui nepotem vel ab ineunte aetate Ecclesiae sacra colere, et revereri docuerat. Eum quippe nondum septennem legaverat, qui solemnem Sacrosancti Corporis Christi pompam, vice sua, Panormi viis deduceret. Quoties homines non cum quadam admiratione conspexerunt in aede sacra diu manentem Deo Optimo Maximo praeces ex imis sensibus fundentem pro regno, proque Regia Domo supplicantem? Quam quidem optime institutam, ac in timore Domini ita procedentem habuit, ut ex ea illa extiterit sanctissima mulier, Maria Christina a Sabaudia: cuius ex maioribus cum nonnulli fuerint sanctitate inclyti, quibus Romana Ecclesia caelitum honores decrevit; non exigua in spe sumus eam etiam quamprimum eosdem honores consecuturam. Cuius ex laudibus in hunc Regem videor commendationem, neque illam communem, posse ducere, Sacris Litteris testantibus: *Mulieris bonae beatus vir* (Eccl. XXV, 1). Qui-

bus de laudibus nihil esse imminutum postquam in illam Regiam Domum Maria Theresia ab Austria pedem intulit, constat omnibus. In quibus quidem singulare Dei beneficium Ipse Rex cernebat; etenim *domus, et divitiae dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens* (Prov. XIX, 14.). Quid porro de Eius in Sanctos Caelites devotione dicemus, quod non sit vehementer mirandum? Qui ut eorum reliquias veneraretur, Seque ad Religionem excitaret vehementius, saepissime in maiori hebdomada, semel autem tum, cum quinque ii Viri, quorum tres Neapolitani, ex quibus Sanctus Alphonsus de Ligoriis (in quem praecipua devotione ferebatur), caelitum numero solemni ritu accensi fuere, Romam, cum fere tota Regia Domo, accesserit. Quantam vero in Beatissimam Virginem gereret animo religionem testes fuerunt Patres Purpurati, qui in Eius Regnum, decem ante annos, confugerunt. Quam sedulo apud Eos agebat ut Summo Pontifici auctores vellent esse Beatae Mariae ab omni labe originali immunis inter Ecclesiae dogmata referendae? Cum autem singularem illam Beatissimae Virginis laudem de fide credendam ab SANCTITATE TVA Ecclesiae universae propositam audivit, continere animo gaudium piissimus Rex non potuit; sed festum illum diem omni laetitiarum genere celebrandum esse toto regno edixit. Verum enimvero uberrimum suae pietatis tulit fructum tum cum ex ludicra militum exercitatione, quam in Campo Martio ad honorem Virginis Immaculatae instituerat, rediens, ab nefario homine (horreo enim militem Eius appellare) ferro est petitus: quo ex vulnere illico non occubuisse tantae Matris praesidio acceptum ferendum fuisse et Ipse Rex sensit, et omnes qui aderant senserunt. Qua denique fide, et observantia in Sedem Apostolicam, atque in Christi Vicarios fuerit FERDINANDVS Rex, expertus est saepissime Gregorius XVI. Teque Ipsum, PATER BEATISSIME, testem appellarem, nisi vererer ne exulcerandus sit magis dolor Tuus, quam levandus, si in Eius regnum aditum Tuum, si regium hospitium, si ex Illius complexu ad urbem reditum commemoravero. Illud vero contendere non dubitabo, FERDINANDVM Regem adeo preclare de Ecclesia Catholica esse meritum, ut universum orbem sibi grato animo, memoriaque sempiterna iure devinxerit.

XV. Sed hic tantus Vir, tamque pius, longo, diroque morbo a Deo probatus, terrestre regnum caelesti, laborem

quiete, mortalitatem immortalitate, ut confidimus, commutavit. Quam spem concipere animo debemus, quod ab Eo aegrotante omnia preclará exempla virtutum, quae in christiano homine esse debent, extremo suae vitae tempore in exemplum sunt edita: qui quamvis in medio integrae aetatis spatio eriperetur, tamen conscientia recte factorum nixus, satis Sibi, satis Borboniae Domus gloriae, satis suorum civium felicitati vixisse posset existimare. Equidem fuit nemo, qui per quatuor mensium et amplius spatium, de gravissimo FERDINANDI morbo non loqueretur, atque de Eius salute non esset sollicitus. Narrabant homines de incredibili Ipsius in chirurgorum incisionibus, hisque multis, et acerbissimis patientia; deque Suae voluntatis cum Divina voluntate mirifica consensione. Commemorabant quae de Bonitate Divina, de Reparationis Dominicae fructu, de religione in Virginem Mariam frequenti sermone usurpabat. Dicebant admirantes quanto impetu, et ardore Iesum Christum in sacramento latentem in viaticum susceperit. Referebant postrema verba, quibus Vxorem optimam, natosque carissimos solatus est; eaque, quibus FRANCISCO Filio amantissimo successori suo, et MARIAE SOPHIAE AMALIAE, optatissimae Nurui, cuius virtutes simul cognovit, simul plusimi fecit, totam Regiam Domum etiam, atque etiam commendavit; obtestationesque, quibus regios omnes principes hortatus est, ut concorditer pacifice inter se degerent, atque in potestate novi Regis libentes, obsequentesque esse vellent. Maxime demum commovebantur referentes quam vere, et ex animo, intermortuis vocibus, Se (Iesu Christo duce, et magistro) prolixe veniam dare semel, atque iterum affirmaverat iis omnibus, qui Eum verbo, reque laesissent. De pacatissimo tandem obitu, vel potius de placidissimo, ad instar iustorum somno, qui cupiunt *dissolvi, et esse cum Christo*, non tacebant. Quibus populi sermonibus nulla praestantior est laudatio, quippe his demonstratur quam in omnium animis spes insideret salvum, beatumque in aeternitate futurum, qui alios salvos, incolumes, felices in praesenti vita fecisset. Quod si forsan nondum FERDINANDI anima plane purgata Se Divino Iudicio stiterit, Te, PATER BEATISSIME, multa precans, ut procedas, et animae Iusti huius cumulatissimam referas gratiam, sacroque ritu Eidem placabilius Divinum Numen efficias, oramus, atque obsecramus: itemque praeces adhibeas, ut FRANCISCO II. filio Eius, et successori, caeleste adsit praesidium, quo in tanta difficultate temporum regni gubernaculum fortiter, feliciterque moderetur.



